

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0549

Sabato 05.08.2023

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale al III centenario dell'Incoronazione dell'Immagine di Nostra Signora Regina di Podlasie-Madre dell'Unità (Santuario di Kodeń, Siedlce, Polonia)

L'Em.mo Card. Stanisław Dziwisz, Arcivescovo emerito di Cracovia, è stato nominato il 17 giugno 2023 Inviato Speciale alla celebrazione del III centenario dell'Incoronazione dell'Immagine di *Nostra Signora Regina di Podlasie-Madre dell'Unità*, che si terrà nel Santuario diocesano di Kodeń (Diocesi di Siedlce) il 15 agosto 2023.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dai seguenti ecclesiastici:

- 1) Rev.do Sac. Jan Babik, Cancelliere della Curia diocesana di Siedlce;
- 2) Rev.do P. Józef Czernecki, O.M.I., Economo Provinciale della Congregazione dei Missionari Oblati di Maria Immacolata.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratelli Nostro

STANISLAO S.R.E. Cardinali DZIWISZ

Archiepiscopo emerito Cracoviensi

Beatissimae Dei Genetrici Virgini Mariae dicata templa mirandum in modum toto in terrarum orbe eminent itidemque refulgent religiosissima et augusta, quae divinis consecrata mysteriis, ac tot nobilitata miraculis, totque populorum concursu frequentiaque celebrata, sub tutum praesidium necnon sub mantellum Redemptoris Matris filios Dei, renatos in baptismatis fonte, unanimiter congregant. Ibi enim colitur illa tantopere dilecta a Deo ancilla atque discipula, quae pro Dei filiis intercedens ad singulare commercium cum unigenito Filio ducit, ita "ut omnes unum sint" (Io 17,21) et hoc modo Ecclesiam tamquam vivum corpus Domini aedificent.

Novimus autem ex litteris Venerabilis Fratris Casimiri Gurda, Episcopi Siedlecensis, celebrem imaginem *Dominae Nostrae Reginae Podlachiae-Matris unitatis*, quae in dioecesi Siedlecensi in vico v.d. *Kodeń* colitur, novis coronis, a Nobismet Ipsi in Urbe die III mensis Augusti praeteriti anni benedictis, decoraturum iri, ut trecentiesimum anniversarium illius devoti actus incoronationis, qui eodem die anno MDCCXXIII evenit, rite pieque celebretur. Quapropter memoratus Praesul humanissime quaesivit ad sollemniorem efficiendum hunc ritum magisque honorandam Deiparam Virginem Mariam, ut Nos Patrem Purpuratum eligeremus, qui apud hoc Sanctuarium inter Missarum sollemnia personam Nostram gereret. Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui multos per annos Nobis praestas auxilium, sicut potissime olim Nostro sancto Praedecessori, tam a Poloniae populo enixe dilecto papae Ioanni Paulo II, ad dictum eventum fidenter destinamus. Itaque hisce Litteris **Missum Extraordinarium Nostrum** te nominamus ad memoratum iubilaeum, proxima die XV mensis Augusti in Basilica Minore, eodemque tempore Sanctuario, *Dominae Nostrae Reginae Podlachiae-Matris unitatis*, in vico v.d. *Kodeń*, sollemni modo explendum.

Liturgicis ritibus praesidens Nostram benignam istic adstantibus significabis salutationem, praesertim Siedlecensi Pastori itidemque omnibus Fratribus in episcopatu, sodalibus Congregationis Missionariorum Oblatorum B.M.V. Immaculatae ibi diligenter pastorale ministerium exercentibus, presbyteris, diaconis, cunctis vitae consecratae membris et christifidelibus laicis. Omnes deinde congregatos ferventer hortaberis ut Beatissimam Mariam Virginem piissime colant in corde habentes sinceram ac veram unitatem quae decet fideles, qui in Domino unum corpus mysticum et unam animam habere clamantur.

Nos profecto tuam missionem precibus comitabimur, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Sanctissimae Dei Genetricis Mariae eiusque Sponsi sancti Ioseph, etiam patronorum illius dioecesis sanctorum scilicet Simonis et Iudae Thaddaei, apostolorum, et sancti Iosaphat, apostoli unitatis. Nostram denique Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam, vicissim pro gravi Nostro Petrino ministerio exercendo preces postulantes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVII mensis Iulii, anno MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

FRANCISCUS

[01212-LA.01] [Testo originale: Latino]
